

Hoc H. cum H. meo intermedio alias cum H. murorum junctum erat.

In alpe Winterthal supra casas Michelben dictas in regione Fladnitzensi crescit var. hujus plantae foliis caulinis 1 — 3 remotis, caule gracili paucifloro — quasi intermedia inter H. sylvaticum et molle. Variat etiam caule unifloro, sed foliis caulinis ellipticis vel late oblongis acuminato-denticulatis dignoscenda. Pertinet ad tribum, quae cognoscitur foliis caulinis petiolisque pilosis etc.

6. Hieracium intermedium mihi.

Scapo superne subcorymboso cum calycibus tomentoso hirtoque, foliis radicalibus petiolatis oblongo-lanceolatis dentatis: dentibus acuminatis, petiolis hirsutis; caulino subunico sublipari.

Caulis erectus subaphyllus subtrifidus. Foliorum dentes elongati. Flores majusculi. Calyces pilis atris hirti et tomento deciduo tecti. Pappus luridus fragilis. Pedunculi squamulosi. Folium caulinum subunicum sessile lineari-lanceolatum. Scapus profunde fissus saepe ultra medium, ramis subunifloris erectis. Statura H. staticae-folii. In H. murorum paniculae rami divaricati, saltem non erecti, flores minores, folia longius petiolata et fere semper subtus colorata.

Hab. circa Grätz.

7. *Pieris sonchoides* mihi.

Sonchus asper herbar. Wulfenii.

Glochidibus hispida, foliis dentatis, floribus umbellato - cymosis, pappo sessili.

Nescio ubi crescat. Vidi in herbario Wulfenii in quo plures inveni plantas non satis cognitās.

Radix perennis. Tota planta aspersa setis apice recurvato - furcatis, hinc aspera. Caulis simplex erectus subangulatus. Folia subsagittata sinuato - dentata. Flores subumbellato - cymosi in pedunculis rigidis. Calyx asper, foliolis exterioribus minoribus saepius reflexis, interiora erecta simplici serie. Pappus candidus mollis plumosus sessilis, semina transverse striata rugosa.

Structura calycis, hac in familia maximi momenti, plantam sejungit a Scorzonera et Soncho etc Pappus plumosus a Crepide, Lactuca etc. Stipitis pappi absentia ut nota minoris dignitatis, et in aliis speciebus observatur.

8. *Scorzonera julia* mihi.

Scorzonera hirsuta herb. Wulfenii.

Crescit in foro Julio circa St. Daniel, Villanova.

Caulis unifloro basi folioso, foliis linearibus nervosis basi dilatatis pilosis, seminibus glabris, pappo fragili lurido.

Radix perennis. Caulis pedalis striatus superae aphyllus. Folia anguste linearia acuminata erecta caule breviora. Calyx villosus, squamis inferioribus majoribus latioribus. Corollae